



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Ecclesia**

**Buchinger, Michael**

**Dilingae in Rhetia, 1556**

**VD16 B 8998**

Reverendissimo in Christo patri, ac pientissimo principi & Domino, D.  
Iohanni Rudolpho Abbati Muerbacensi et Lutrensi, Domino suo clementi,  
Michaël Buechingerus. S. D.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64468](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64468)

REVERENDISSIMO in Christo pa-  
tri, ac pientissimo principi & Domino, D.  
Iohanni Rudolpho Abbati Muerbacensi  
et Lutrensi, Domino suo clementi,  
Michael Buechingerus.

S. D.



Uti Christus saluator,  
Princeps, gloriosissima  
& triumphali sua passi-  
one serpētis antiqui ca-  
put ita contriuerit, ut  
iam nihil uirium seu po-  
testatis in unctos et ele-

ctos domini habeat teneatq;: nisi quantū à deo  
incrementū ipsi cōceditur. Tamē nō quiescit sty-  
gius ille ueterator millies execrandus. (qui seui  
leonis instar nobis imminet totos absorbeat) sub  
inde superciliū erigere, et uenenoso suo Circeō  
poculo humanū genus, quōd primitus exercuit,  
demētare, hominūq; salutē nunq; nō insidiari. Nū-  
quam inquā capit somnū, somnificus ille et an-  
tiquus amuleti dissuasor, uerū omnē (quod aiūt)  
mouet lapidē, id unū die noctuq; curās, ut quos-  
cūq; potest à tramite salutis in cacoethes et in-  
uiū adducat. Atq; id quidē nō solū per se, sed per  
eacoangelos spiritus impostores: superciliofos

A 3 & uas

& uafros heresiotas ministros suos, Quorū qui  
de instinctui etiā nostro tēpore deploratissimo  
ferē, cheu, nouissimo, nimiū plures aures prābēt  
Hoc ego cū considerārē, Princeps et Columē Ec  
clesiæ, tēperare mihi nequiui quin cruetissimorū  
pseudomistarū (qui sua uota secant) panurgiam  
& fucū detegerē, ut si qui boni Christiani ophio  
machi, ex illius insidijs nondū circūuenti et illa  
queati sint, à nequissimis hostib⁹ pseudoangelicis  
sibi cauēdū esse intelligāt. Si qui uerò lethifero il  
lo phyltro inebriati, et illorū laqueis irretiti sint  
ut quū cōpedes suos intellexerint profundā sum  
mi opificis misericordiam supplices imploran  
tes uinculorū suorū dissolutionē impetrēt. Quē  
ad, uerò hostis, tū demū periculosissimus et dirus  
est quū amicū se simulat, et latrones pessimi sunt  
qui amplexādo strāgulāt. Ita ecclesiæ spurij, cū  
maximē nobile inferorū spoliū (animas) ad inter  
ritū ducūt, dū nō se sanguinarios hostes, sed ami  
cos: Non cacoangelos sed angelicos, simulant &  
ostendunt. Qua ratione impulsus Classicos &  
grauissimos pietatis authores, (ex quibus tan  
quā ex amēnissimo prato selectissimos floscu  
los gnomas & iudicia decerpsi, & in hunc libel  
lum contraxi: Et sicut Lucretius canit,  
Floriferis ut apes in saltibus omnia libant.  
Omnia nos itidē decerpsimus aurea dicta, etc.)

Et religionis orthodoxæ assertores præcipua  
os, quos θεοσιδούτους uocamus, quæta potui  
diligentia, cura, & attētionē animi perlegi, ut  
ipsorū et consilio adiutus, et authoritate firmas  
tus me recētioribus hostibus S. R. E. opponerē.  
Nō quidem ad effundendū sanguinem, sed ad ius  
gulandū errores. Has ergo primitiolas & the  
ses, quū uidissent amici haudquaquàm indocti &  
Nominis R. D. T. studiosissimi, omni ope conuulsi  
sunt efficere, ne supprimeretur: At ego, omnium  
doctissimorū abortiuus humilē dicendi filiū sti  
liq; tenuitatē perpendens, id prorsus recusauī,  
(solēt nāq; primi fetus horriduli esse & insua  
uiores) mihi ipsi enim ea, memoriæ cōsulturus,  
cōscripserā, addēs preterea me nudius atq; incul  
tiūs scripsisse q̄ pro hoc nostro sæculo politissi  
mo: Nā qui Icari in modū asūptis pennis, altius  
q̄ par est uolare cōtendunt, facillime glutino so  
laribus radijs dissoluto, uno motu ad imū è super  
nis deturbātur. Cū enim tāgo abusus, mox futu  
ros obmurmuratores scio, fucis similes ignauis  
omnia caninis rictibus mordētes, qui dicturi sunt  
superciliosus est, aliena à nostris moribus prædi  
cat. Si aut scismaticos pūgo, mox adulator sum,  
hypocrita, sic multis innatū est calūniari, et nes  
cio, an nunq̄ Διαβολῆ Lucianica, ualidior, repre

hēdebatur à pseudoapostolis D. Pauli studiū, in-  
 terim tamen ipse ἀνεπίληπτ' erat. Hic illi,  
 ob unam hanc causam in publicū dabis, (cum &  
 Ruht. 2. mulier Moabitida spicas collegerit) nā hac in re  
 iunioribus mystis ansa dabitur, & imperiti nō  
 dū emūsta naris quibus cortice natate opus est,  
 quibusq; nō uacat grādia herouū uolumina, spisi-  
 tudine Commentariorū deterriti, reuoluere, in  
 prōptu, & breui (ut aiūt) manu summariū habe-  
 būt cōtra dicaculos Anomistas: Sic ergo persua-  
 Ignoti nul- sus uētis uela cōmisimus, cū tota uirtutis laus, ut  
 la cupido, præclare scriptū est à Cic. in ipsa tantū actione  
 cōsistat: & Isocrates, εἰ μὴ φιλομαθῆς ἦσιν  
 πολυμαθῆς. Præstat Penelopes telas texere,  
 Cic. i. off. q̄ ocio et delitijs diffluere. Non nobis solū nati  
 in Apo. ii. sumus, sed quisq; ad id quod facere potest, detru-  
 i. de Orat. dēdus est, inquit Cic. Merces interim nostras nul-  
 lis præferētes, nec gloriolæ choragiū ambiēs (id  
 bona numina testor) Christi gloriā quero nō mo-  
 ror lectorū applausum: cessurus libēter meliora  
 offerētibus, quorū etiā nō recuso limā. Quū huc  
 aut atq; illuc multū diuq; circūspicerē, cui hosce  
 meos ardores, et gratū animū nominatim dedi-  
 carem (priscis enim mos fuit scriptoribus, sua  
 studia consecrare Principibus) nemo mihi te,  
 princeps ter maxime, cum dignior, tum aptior  
 OCCURR

occurrit: Primum enim, frigescat adulatio,  
norūt pleriq; R. D. T. et pietate & eruditione  
multijuga insignē esse, ideoq; amabilē. Itaq; ple-  
riq; tuā nobilitatē nō ex maiorū imaginibus, quas  
clarissimas accepisti, Nō diuitijs qbus uel Craso  
æquiparandus es, sed ex uirtute dimetiūtur: Νο-  
uimus τοὺς αὐτοὺς εὐγενεῖς τοὺς καὶ ἐναρε-  
τοὺς Recte igitur διδασκτικὸς uocaris: Recte  
φιλαγαθός, qui uere bonis rebus studes, & bo-  
nos adamas & promoues, à quo mala ita sunt a-  
liena, quàm quæ alienissima. At non commodum  
uidetur esse, Princeps optime, nunc tuas omneis  
laudes recensere, probe sciens, et tenuitatem meā  
id digne & pro merito non posse, & aures  
tuas ad laudes proprias plusquàm Catoniana gra-  
uitate ac seueritate rigidas & oclusas esse, &  
multis alijs nexibus irretitum, omittam itaq; atq;  
in aliud tēpus differam. Accipiat ergo R. D. T.  
hunc exiguū libellū (quod ex multis præclarissi-  
mis S. Paginae scriptoribus iā ferē per 183. dies,  
non sine uigilijs & laboribus maximis collegi, cō-  
gessi, & quantum ingenio, atq; industria potui,  
augmētui) à me obuijs manibus ac serena frōte,  
pro magnis in me collatis beneficijs, malui enim  
tenuia hæc, quam nulla dare: & minime dubito,  
quin hæc mediocria (nihil enim obscure & sphin-  
A 5 gicōs

gicōs traditur) animo latissimo s̄s. accepturus:  
Artaxerxes Persarū rex, cognomento Memor,  
non tam donum, quā̄m donantis animum exoscu-  
latus est, donamus ergo & nos parui agelli fru-  
ctum, sed ut T. R. D. auxilio larga copia crescat.  
Maximē præterea laborem T. R. D. placiturum  
spero, cum non ignorem, quantum illa delectetur.  
S. matris ecclesiae Statutis, et Patrū in eadē scri-  
ptis. Longiorem Iliāda ad te, Princeps optime,  
scripsisse, nisi pro me apud T. R. D. materia ipsa  
loqueretur. Tu me, ut facis, opera, cōsilio, gratia  
iuua. Deus Op. Max. tuam amplitudinem ad pue-  
blicū orbi christiani commodum quā̄m diutissime  
seruare dignetur, tueatur et dirigat: Cui me uni-  
cē commendatum iri cupio. Dilingē in Rhetia  
ex officina Sebaldi Maioris, Anno redempti or-  
bis 1556. die uerō 9. mensis Maij.

T. R. D.

Obsequentissimus.

Michaël Buechingerus  
Colmariensis, presbye-  
ter indignus.

Peto